

dem modo est certum Deum ex parte suæ virtutis, et bonitatis nulli deficere, atque mihi non deficere. In quo valde æquivocatur Torres ubi supra, et Vazquez non intelligens D. Thomam quando docet posse aliquem retenta recta existimatione in communi, quod omnis fornicatio est mala habere corruptam existimationem in particulari, quod hic et nunc sit bonum sibi eligere fornicationem, sicut habet S. Thomas 2-2, quæst. xx, art. ii, quæst. clxii, art. iv ad primum. Non est sensus D. Thomæ, quod aliquis potest existimare hanc fornicationem in particulari esse bonam retenta recta existimatione circa fornicationem in communi, nam ita erraret contra fidem qui diceret hanc fornicationem in particulari esse bonam, quam qui diceret omnem esse bonam, et ita sine errore fidei aliquis posset eligere omnem fornicationem, atque aliquam in particulari. Sed sensus D. Thomæ est, quod retenta existimatione in communi, quod omnis fornicatio est mala moraliter, in quo iudicio includitur, quod etiam ista in particulari sit mala moraliter, possit habere existimationem, quod sibi est bona delectabiliter ista in particulari, vel etiam omnis fornicatio quam velit eligere. Sed illud vocatur iudicium in communi, et hoc in particulari, quia illud pertinet quasi ad naturam, et quidditatem fornicationis ut actus moralis est, et ita est iudicium speculativum, quod de se respicit naturam objecti et actus, quando de aliquo singulari iudicas: hoc secundum pertinet quasi ad applicationem practicam ut eligatur, quæ applicatio semper est rei in particulari. Eodem modo in

liari, et hæc dicitur certitudo quasi in communi, quia respicit id quod ex natura sua objectum petit; secunda certitudo est quasi practica, quatenus fides iudicat prudenter, et recte procedere ad sperandum, et habere sufficientia motiva, ut efficaciter moveatur ad tendendum in Deum, etiamsi de ipso eventu non habeat omnimodam certitudinem, quia habet sufficiens inductivum in mediis, et ita certo fides iudicat mihi esse applicata hæc auxilia, vel applicanda iudicio practico regulativo, non iudicio assensus, et credibilitatis, et ita non credit certo, sed dirigit certo, et inducit prudentialiter, non certitudinem assensus veritatis; fides autem pro ea parte, qua format iudicium practicum non habet certitudinem credibilitatis, sed certitudinem prudentiæ, seu practicam, atque adeo illud iudicium, quod Deus mihi dat auxilia, et media requisita, est actus fidei practicus, non speculativus, et potest aliquis desperare ablato, seu destructo isto dictamine fidei, non destructa fide, quia fides non destruitur per hoc, quod dictamina practica destruantur, sed per hoc quod speculativi assensus per infidelitatem abjiciantur, et ideo stante potest stare desperatio.

DISPUTATIO VI.

DE DONO TIMORIS.

ARTICULUS I.

Utrum donum timoris sit habitus distinctus secundum suam rationem formalem ab habitu spei, et aliarum virtutum?

I. Et si præcipue agamus hic de timore filiali, qui solum pertinet ad donum timoris (ut postea ostendetur) tamen ex consequenti aliquid attingemus de timore servili, ut melius ratio ipsa timoris filialis explicetur. Supponendum ergo est, posse hanc controversiam in generali disputari, secundum quod de omnibus donis Spiritus sancti difficultas est, an sint distincti habitus ab omnibus aliis virtutibus, tam acquisitis, quam infusis; vel in speciali de dono timoris quis habitus sit, et quam rationem formalem habeat a reliquis virtutibus distinctam. In generali ergo loquendo de donis Spiritus sancti, controversia est inter D. Thomam, et Scotum, nam D. Thomas sentit dona esse habitus distinctos ab omnibus aliis virtutibus, etiam supernaturalibus; Scotus vero existimat dona ab illis non distingui, quia quæcumque homo operari potest in genere supernaturali, sufficienter per virtutes infusas operari potest. Scotum sequuntur aliqui antiqui, et ex recentioribus Vazquez, 1-2, disp. XLVII, et Lorca super quæstionem LXI, disp. xxxv, membro II. Communiter tamen S. Thomæ sententia præfertur non solum a Thomistis, sed etiam extra scholam S. Thomæ,

eamque ex antiquis sequuntur Alensis, Henricus, Durandus cum reliquis ad quæstionem LXIII, 1-2; Valentia, Montesinos, Suarez disp. I de spe sect. IV et lib. II de gratia, cap. XVII.

II. Hæc ergo sententia nunc supponenda est, ut conformior explicationi Scripturæ, quem numerat in Christo Domino septem dona Spiritus sancti Isaïæ XI, et constat illa non posse reduci ad virtutes cardinales, et theologales, quia dona pertinentia ad intellectum, ut sapientia, scientia, et intellectus non possunt esse habitus fidei, quæ est virtus theologica cum in Christo fuerint ista dona, et non fuerit fides; distinguuntur ergo a fide; et multo magis a spe, et charitate, quæ non sunt in intellectu, sicut illa dona. Similiter neque possunt esse virtutes cardinales, nam inter virtutes cardinales sola prudentia pertinet ad intellectum, non speculativum sed practicum, unde ei correspondere potest donum consilii, non autem donum sapientiæ, scientiæ, et intellectus, quæ versantur circa res divinas, et complectuntur intra intellectum speculativum. Similiter non possunt hæc dona esse virtutes intellectuales, quia virtutes intellectuales, scilicet sapientia, scientia, et habitus principiorum, sunt virtutes acquisitæ; dona autem Spiritus sancti sunt aliquid infusum, et supernaturale, debent ergo distingui a virtutibus intellectualibus acquisitis. Infusæ autem non dantur distinctæ a donis, non enim sicut infunditur temperantia infusa, et iustitia infusa, ita infunditur sapientia infusa, et intellectus principiorum, et scientia infusa, quia tractant de materiis, seu objectis scientiarum naturalium modo supernaturali, sicut virtutes morales infusæ versantur circa materiam virtutum moralium acquisitarum modo su-

pernaturali, et in ordine ad regulam supernaturalem; istas enim scientias supernaturales non infundi constat, cum veritates naturales, de quibus sunt virtutes intellectuales solum naturali discursu, et modo sciuntur, non ex principiis supernaturalibus, ut ipsa experientia notum est, et in peccatoribus remanere possunt, sicut manet theologia, in quibus tamen dona Spiritus sancti non remanent. Circa res autem de quibus est fides dantur quidem habitus illi scientiæ, sapientiæ, et intellectus supernaturales distincti a fide, sed sunt dona Spiritus sancti infusa, et consequenter distinguuntur a virtutibus intellectualibus, quæ versantur circa objecta naturalia. Evidens ergo apparet ista tria dona intellectualia, a virtutibus reliquis distingui; eadem autem ratio est de reliquis donis, nam non est conveniens, ut quædam dona distinguantur a virtutibus, quædam vero non distinguantur.

III. Quomodo autem dona, et virtutes etiam infusæ distinguantur, operosior disputatio est quam hic tractari possit, etsuum proprium locum habet 1-2, quæst. LXVIII, art. 1, et cum de singulis donis specialiter agitur in secunda secundæ, breviter dico optimam rationem distinguendi dona Spiritus sancti a virtutibus esse illam, quam D. Thomas explicat citato loco primæ secundæ, scilicet quod ratio doni Spiritus sancti debet explicari per modum inspirationis divinæ quem significat motionem ab exteriori, unde Isaiæ xi non traduntur sub nomine donorum, sed sub nomine spirituum. In hoc autem decipiuntur aliqui, et difficilem reputant doctrinam D. Thomæ, quod cum ad actus virtutum etiam requiratur motio divina, et ad actus virtutum infusarum motio supernaturalis, non apparet

quomodo hoc quod est operari ex inspiratione divina, ut ab exteriori movente, sufficiat diversitatem constituere inter dona et virtutes, quantumcumque illa motio sit ad actus aliquos excellentes, et raros; id enim non diversificat speciem actionum, sed majorem perfectionem intra eandem speciem ponit, et consequenter neque diversos habitus requirit, sed eundem habitum virtutis excellentius a Deo motum, et confortatum.

IV. Cæterum D. Thomas non loquitur de inspiratione, et motione divina prout auxiliante, sic enim manifestum est actus virtutum fieri ex auxilio, et inspiratione divina, sed loquitur de inspiratione et motione divina, prout regulante, et supplente, quod ratio sola non potest, etiam ut supernaturaliter elevata per virtutes infusas; homo enim movetur a ratione, ut a connaturali regula suarum actionum, in naturalibus quidem, et acquisitis virtutibus in ordine ad finem naturalem; in supernaturalibus autem in ordine ad supernaturalem finem, sed tamen juxta modum limitatum sui subjecti, supernaturalia enim juxta proprium modum recipiuntur. Unde in eo quod Deus elevat hominem ad finem supernaturalem per virtutes infusas, ipsæ virtutes dupliciter considerari possunt, aut secundum quod trahuntur ad modum subjecti, in quo recipiuntur, et sic imperfecte movent, et regulant hominem etiam ad finem supernaturalem operando juxta modum, quo ratio regulare solet: vel secundum quod a Deo descendunt istæ virtutes infusæ infundente illas in ordine ad perdendum nos usque ad ipsum finem supernaturalem, et sic oportet quod Deus ipsa sua inspiratione, et instinctu, nos regulet supplendo ea, ad quæ ratio movere non potest.

Operatio ergo virtutum regulata juxta modum, quem inducunt ex parte subjecti, et rationis regulantis, est proprius actus virtutis; operatio vero regulata juxta modum divinum, quem habet ex inspiratione, et instinctu Dei regulantis nos ad illum finem, juxta suam potestatem, non juxta limitationem nostri modi operandi, est operatio doni Spiritus sancti diversa specie ab operatione virtutum, quia specificatio in virtutibus sumitur ex objecto, prout regulato, et secundum diversos modos regulationis est diversa specificatio. Ad hoc autem ut homo operetur opera virtutum regulata illo altiori principio, et regula, requiruntur habitus, quibus anima reddatur bene mobilis, et recte obediens divinæ regulationi, et tales habitus sunt ipsa dona. Ideoque præsupponunt gratiam; tum, quia dona reddunt hominem bene mobilem in ordine ad finem beatitudinis; tum, quia ut mobile bene, et firmiter obediat motori, debet esse ei firmiter conjunctum, quod non fit nisi per gratiam, qui enim in peccato est, non est Deo conjunctus ea conjunctione, quæ requiritur, ut sit bene, et firmiter mobilis ab eo. Sicut ergo virtutes morales ponuntur in voluntate ad sequendum, et inclinandum in objecta, ut regulata per rationem, et per prudentiam, et si sit per rationem in ordine ad finem naturalem, sunt virtutes acquisitæ; si in ordine ad finem supernaturalem, sunt infusæ; ita ponuntur habitus, qui sunt dona, ad sequendum ductum Spiritus sancti, ejusque inspirationem, ut regulantem loco prudentiæ, et rationis, quatenus altiori modo, quam prudentia, sive infusa sit, sive acquisita, format dictamina ad movendum voluntatem, et illustrat intellectum ad formandum iudicium de rebus divinis; sicut, verbi gratia

sapientia ut per naturalem discursum deducta indicat de divinis, ut ex effectibus naturalibus per illationem attinguntur; sapientia autem dominum illustrat intellectum ad judicandum de rebus divinis ex quadam experientia, et sapore, qui habetur ex amore charitatis ad Deum, ut tradit D. Thomas 2-2, quæst. XLV, similiter ut idem sanctus doctor dicit in III, dist. XXXIV, quæst. 1, art. 1: « Connaturalis modus humanæ naturæ est, ut divina non nisi per speculum creaturarum, et ænigmata similitudinum percipiat, et sic ad percipienda divina perficit fides, quæ virtus dicitur, sed intellectus donum (ut Gregorius dicit) de auditis mentem illustrat, ut etiam in hac vita homo prælibationem futuræ manifestationis accipiat. » Quare ex diverso modo operandi pertinente ad diversum motivum, et rationem formalem, qua objectum attingitur diversificatur habitus virtutum, et donorum in intellectu, et in voluntate.

V. Quod autem iste diversus modus operandi pertineat ad diversum motivum, et rationem formalem constat, quia in intellectualibus quandocumque dantur iudicia ex diversis principiis, et per diversam resolutionem, talis modus diversus pertinet ad distinctam rationem formalem quia ratio formalis, et specifica conclusionis, et iudicii ejus ex reductione in diversa principia sumitur; constat autem resolyi in diversa principia iudicium, quod datur de rebus divinis per illationem ex principiis revelatis, sicut facit sapientia, quæ studio acquiritur, qualis est theologia, et iudicium quod datur de rebus divinis ex conjunctione amoris quo veluti experitur, et connaturalizatur nobis res divina, quod fit per sapientiæ donum; res enim divina, ut reve-

lata per fidem formaliter est distinctum principium ab ipsa, ut connaturalizata per amorem. Similiter in voluntate, ubicumque variatur motivum regulans actus liberos, variatur specifica ratio actionum humanarum, quæ desumitur ex objecto prout regulato per rationem, unde cum actus voluntatis prout regulantur ex instinctu Spiritus sancti movente juxta modum suæ potestatis, non juxta modum nostræ investigationis, et rationis respiciat diversam regulam, quam illi actus qui regulantur juxta modum operandi nostræ rationis, et investigationis, etiam si sit in genere supernaturali, necessarie isti actus distinguuntur specie ex diverso motivo regulante, et consequenter exigunt distinctos habitus specie.

VI. Ex quo obiter colliges, quod judicium de rebus divinis datum per donum sapientiæ, quæ habet pro principio judicandi connaturalitatem, et unionem ad res divinas in qua unione charitatis fundatur omnis tractatio theologicæ mysticæ, id est, sapientiæ affectuosæ, et ad Deum unientis nos, licet secundum se altius sit quam sapientia theologica nostris actibus hic acquisita, tamen quoad nos propter imperfectum modum participandi dona Spiritus sancti, præsertim quæ ad illustrationem intellectus pertinent, quæ in hac vita subordinantur fidei (tamquam virtuti excellentiori, quam ipsa dona) ut determinat S. Thomas 1-2, quæst. LXVIII, art. VIII) oportet quod sapientia donum, et judicium theologicæ mysticæ examinetur, et innitatur judicio sapientiæ acquisitæ, et theologicæ scholasticæ, et oppositum est valde periculosum, et frequentibus erroris subjectum. Cujus ratio ex dictis colligitur, quia principia, quibus innititur theologia scholastica sunt ipsæ veritates fi-

dei, et per necessariam consequentiam deducit ex illis theologia acquisita sua judicia; principia autem doni sapientiæ, et theologicæ mysticæ sunt ipsa unio amoris ad res divinas per charitatem, ex qua in intellectu resultat quædam adhæsiō, et connaturalitas, quasi experientia ad res divinas, ratione cuius dicitur quasi divina patiens, qui ea experitur, non quia intellectus, vere et proprie non agat experiendo, et sentiendo divinam dulcedinem, sed quia originatur ista adhæsiō intellectus non ex proprio labore, sed ex passione amoris; ista autem omnia regulari debent per determinationes fidei tamquam per virtutem altiolem, et per theologiam acquisitam, tamquam per judicium fundatum in consequentia necessaria et evidenti, quæ quoad nos certior est quam illud judicium mysticum; et ideo necesse est quod isti actus doni sapientiæ, ut nobis certificentur, regulentur per sapientiam acquisitam; tum propter subordinationem doni ad virtutem fidei, quæ est altior donis, et certius veritates continet; tum propter majorem evidentiam in illationibus sapientiæ acquisitæ, donum enim sapientiæ caret discursu quantum est ex se, de quo videri potest D. Thomas 2-2, quæst. IX, art. I.

VII. His suppositis restat hic id, quod hujus loci peculiare est, agere de habitu doni timoris, an sit specie distinctus ab aliis virtutibus, et in hoc divisi sunt auctores; qui enim existimant dona Spiritus sancti non esse habitus distinctos a virtutibus, reducunt timorem filialem ad charitatem; timorem vero servilem, qui etiam bonus, et honestus est, ad habitum spei. Ita tenet pater Lorca hic quæstio XIX, disp. XIV, quem sequitur pater Torres eadem quæstione XIX, artic. IX, disp. LXIII. Ex his vero qui existimant

dona esse habitus distinctos a virtutibus dividuntur in assignanda ratione formali specifica hujus habitus timoris: nam pater Suarez disp. I de spe, sect. IV, num. XIII et XIV, distinguit inter timorem filialem, et timorem, qui est donum Spiritus sancti, et dicit quod timor filialis est actus elicitus a charitate, et consequenter non est actus doni (supposito quod dona distinguuntur a virtutibus in ejus sententia) timor autem, qui est donum, dici non esse habitum specialem, qui versetur proxime circa Deum timendo ipsum, sed versari circa materiam temperantiæ, licet altiori modo specie diverso, quam ipsa virtus temperantiæ, sive infusa, sive acquisita, et hanc inquit, esse doctrinam S. Thomæ, 1-2, quæstione LXV, artic. IV, ubi tamen sanctus doctor nullum verbum habet de hoc puncto. Sed tamen favere videtur huic sententiæ 2-2, quæst. CXLI, art. I ad tertium, ubi inquit: « Quod temperantiæ, etiam respondet aliquod donum, scilicet timoris, » quo aliquis refrænatur e delectationibus carnis, juxta illud Psalmi CXVIII: *Confige timore tuo carnes meas*. Est ergo donum timoris habitus, qui versatur circa materiam temperantiæ: et eandem sententiam reputat probabilem magister Cabrera tom. I, III part. quæst. VII, art. VI in commentario articuli, ubi probabile existimat, quod actus timoris reverentialis non distinguitur ab actu humilitatis, quæ est pars temperantiæ.

VIII. Nihilominus expressa D. Thomæ sententia est, donum timoris esse habitum distinctum a charitate, et ab humilitate, nec respicere solam materiam temperantiæ, sed ad ipsum pertinere etiam timorem filialem, unde in omnibus prædictæ sententiæ contrariantur D. Thomas et rationi; quod enim do-

num timoris sit habitus distinctus a charitate constat manifeste ex hac quæstione XIX, art. IX ad tertium, ubi distinguit donum timoris ab omni virtute theologica, et specialiter ab habitu charitatis; et in solutione ad quartum, distinguit illud a virtute humilitatis. Quod autem timor filialis non sit actus elicitus a charitate, sed sit actus doni Spiritus sancti, manifeste dicit D. Thomas eodem loco in corpore articuli, ubi inquit: « Unde relinquitur, quod timor Dei, qui numeratur inter septem dona Spiritus sancti, est timor filialis, sive castus. » Contradicit ergo sententiæ patris Suarez in hac parte. Denique, quod non respiciat solam materiam temperantiæ, constat ex eodem D. Thomæ citato loco, 2-2, quæstione CXLI, art. I ad tertium, ubi ait: « Quod donum timoris principaliter respicit Deum, cuius offensam vitat, et secundum hoc correspondet virtuti spei, sicut supra dictum est (quæst. XIX) secundo autem potest respicere quæcumque aliquis refugit ad vitandum Dei offensam; maxime autem homo indiget timore divino ad fugiendum ea, quæ maxime alliciunt, circa quæ est temperantia, et ideo temperantiæ etiam correspondet donum timoris. » Ex quo patet, quod sententia D. Thomæ non restringit donum timoris ad materiam temperantiæ, sed principaliter respicit vitare offensam Dei ex motivo reverentiæ ipsius; secundo autem, et inadæquate respicit vitationem eorum, quæ possunt trahere ad offensam Dei, inter quæ quia maxime alliciunt delectabilia sensus, circa quæ versatur temperantia, ideo timor speciali quadam ratione dicitur versari circa illam.

IX. Fundamentum sententiæ D. Thomæ supponit quidem generaliter dona Spiritus sancti esse habitus distinctos a reliquis virtutibus,